

sitiva partium ejus, quæ propter aptitudinem *materia* seu *potentiam passivam* tantum non infinitam, quâ *materia quascunque formas, unam post alteram, in se suscipere potest*, variabilis est, & variari solet, & quidem vel *totaliter*, ut prior species in aliam transeat, id est, ut prior modus totalis evanescat & posterior exoriatur (concretè dicimus, ut *Corpus corrumpatur, & aliud inde generetur*) vel *partialiter*, per *alterationem*, aut *augmentiminationem*.

§. 6. Quapropter, licet, ex ejusmodi variabilibus modis, certa quædam & determinata species actu non adsit in corpore proposito, sed potius adhuc in ejus materiam introducenda veniat, expulsâ specie priori; non tamen opus est, ut aliunde velut advehatur novus modus, prioris, tanquam in penuarium antiquitatis nunc recondendi, successor: cum *quilibet modus jam in quovis corpore suam habeat radicem, dum in potentiâ cujuscunque materie, seu corporis indistinctè spectati, modus quicunque naturâ semper contineatur, & quidem aptitudine saltem suâ secundum positivam, sed actu secundum privativam oppositi simul sibi respiciendi, partem.*

§. 7. Modò præstò sit *Agens* aliquod Ens, quod Aristoteles dixit *id, unde venit motus*, h. e. modò causa sit efficiens, extra *materiæ substantiam* (ipsa namque *materia*, multò minùs *forma*, semetipsam transformare non potest) quæ *materiæ potentiam* eatenus auctuet, & sic è *potentiâ materiæ* certam illam formam educat. Clariùs qui numerum, h. e. tot *materiæ partes diversas*, ita disponat, ordinet & conformet, ut hic ipse modus, ad eum quem corpus sustinere vel edere debet motum idoneus, actu resultet.

§. 8. Cæterum, modus corporis quicunque licet ipse de se tantum in certo situ partium consistat, cui mutatio, seu motus, ab extra semper accedit, quem ipse situs partium objectivâ ratione temperat, inflectit, propagat, & continuat, eoque tales & tantos effectus edere dicitur; nihilominus tamen, quia situs partium corporis, moti simul & moventis, proximè tangit effectum, quem sub hoc modo constitutum corpus, ab extra semper impellendum, edit: igitur ipse situs, ipsa forma, pro se tum materiam actuare; tum effectum (quasi sola) producere, breviter ergò dicitur: cum tamen ad omnem effectum  
natu-